

48647.

No XVIII.

בית ידוה
Διάσκησις Theologica
De

NATURA COR- DIS HUMANI,

Super Jerem. C. XVII. vers. IX.

Quam,

Cum permillu venerandæ
Facultatis Theologicæ,

In Regia Gustaviano - Carolina
Academia apud Dorpatenses,

Sub PRÆSIDIO

Viri Pl. Reverendi & Amplissimi,

M. OLAI MOBERGII,

S. Theol. Prof. pub.

Et Facult. Theol. h. t. Decani,

Publicè ventilandam offert

JOHANNES OLDEKOP, *Vol. Livon.*

S. & R. M. ^{tis} Alumnus,

Auctor & Respondens.

In Aud. Majori ad 3 Septembr. Ao. 1692.

18.

D O R P A T I,

Excudit JOHANNES BRENDKEN,

Acad. Typograph.

A 5074.4

Jfr Excell. H. Prof. et Resp. Carl Billm.

VIRO

Summè Reverendo, Magnifico ac Excellentissimo,
Dno. JOHANNI FISCHER,
Superintendenti per Livoniam
Generali,

Academiae Dorpatensis Procan-
cellario Gravissimo,
Et Supremi Senatus Ecclesiastici in Livonia
Præsidi Attentissimo.

Nobilissimo & Consultissimo Domino,
Dno. JOHANNI REUTER,
Senatori itidem Rigensi prudentissimo.

3^{ta} 14058

*Hoc quaecumq; Exercitium
suorum inq; obvio, perpe-
& ulterioris benevolentiae
votione, & devota submis-*

Autor

Nobilissimo, Consultissimo atq; Doctissimo,
Dno. RICHARDO SEHDENS
HINRICHSOHN,
Senatori Inclutæ Livoniæ Metro-
poleos spectatissimo.

*Viro Clarissimo, & Solide Eruditionis laude
conspicuo, DOMINO Mag.*
JOHANNI UPPENDORFFIO,
Lycei, quod Rigæ floret, Regii, Modera-
tori Meritissimo.

*Academicum, ut studiorum
tue observantiae τεκνηνειν,
πληροφωγίαι, submissa de-
sione, dat, dicat, consecrat*

Respondens.



Jer: 17. v. 9.

קֶרֶב הַלֵּב מִכָּל וְאֶשׁ הוּא מִי יִדְעֵנוּ׃

βαθεΐα ἡ καρδία παρὰ πῦντα, καὶ ἄνθρωπος
ἐστίν. ὅστις γινώσεται αὐτὴν.

*Fraudulentum est cor pra omnibus rebus,
& perversum, quis cognoscet illud?*

§. I.

Naturam Cordis huma-
ni Διασκέψι hâc breviter exhibiturus,
meritò ipsam ὀνοματολογίας paucis deli-
bare placet. Vox autem Natura originem suam
ducit à nascendo, ea enim facit nasci omnia.
Hinc vim illam rebus creatis infusam, quâ fo-
ventur, vegetantur, propagantur, moventur, &
conservantur, Naturam appellant Philosophi,
Φύσις ἀπὸ τῆ Φύειν, à crescendo, aut Oriendo, &
sic communiter genuinam rei alicujus indolem,
innatamq; proprietatem, naturam vocamus.

A 3

juxta

Juxta illud Apostoli: *Rom. 2. 14.* ἔθνη τὰ οὐκ ἔχοντα νόμον, φύσει τὰ τῶν νόμων ποιῶσι, Gentes legem non habentes, naturâ, quæ legis sunt faciunt, id est, naturali vi ac viribus. Item *Rom. 1. 26.* θήλειαι αὐτῶν ἐπέθεσαν τὴν φύσιν καὶ τὴν ἀρετὴν εἰς τὴν παρά φύσιν id est, præter, & contra in natam & ingentam earum proprietatem, ad quam, & cum qua, divinitus conditæ sunt.

§. II.

Natura in Sacris literis ponitur primum pro re ipsa, quæ verè ita est, quemadmodum Apostolus. *Gal. 4. 8.* ἐδεδούσατε τοῖς μὴ φύσει ἔσσι θεοῖς. Secundo, pro ipsa sensualitate indicante D. Petro *2. Pet. 2. 12.* Tertio eam, quæ per nativitatem nobis competit, notat prærogativam *Gal. 2. 15.* quarto deniq; pro qualitate Essentiæ naturaliter in hærenti, quo significato Apostolus vocat *2. Pet. 1. 4.* naturam, non ipsam ἑστίαν, sed certas qualitates, quas Dei virtus in nobis efficit. Qualis Dei imago fuit in homine ante lapsum concreata, quæ nunc in fidelibus per Dei gratiam inchoativè reparatur, ideoq; tum καὶ ἄνθρωπος *Eph. 4. 24.* tum πνεῦμα *Joh. 3. 6.* vocatur, cui opponitur ὁ παλαιὸς ἄνθρωπος *Rom. 6. 6.* & ἡ σαῶσις, *Galat. 5. 17.* hoc est, vitiosa omnis illa totius hominis qualitas, & corruptio, quæ imagini perditæ successit. Nostri verò instituti est in præsentia,

ria, Cordis humani indolem, non qualis fuit ab initio creata, sed ut est in Adamo corrupta, paucis depingere.

§. III.

Cor, potior illa, & vitalior pars in homine, notissimæ significationis vox est, sed admodum variè in Sacris literis accipitur. Missis autem nunc acceptionibus ceteris, Cor potissimum ponitur pro ingenio hominis, aut animo, tum pro intimis cogitationibus, & machinationibus, intelligim; præsertim ex Dicto Prophetico, cujus genuinum sensum eruere animus nunc est. Et licet multa sint in corde hominis occulta, quæ nulla humana sagacitate deprehendi possunt, interim nos potissimum solatur, quod scriptura sacra שׁוֹרֵט בְּתַרְסֵי stylo humano *Es. 8. 1.* conscripta sit, ita ut sensus ejus nec è cælo, nec ab inferno, nec ex locis transmarinis petendus sit, sed propè sit in ore ac corde nostro *Deut. 30. 14.* scilicet verba ex communi usu petita, faciles conceptus gignunt; adeò ut hoc Dictum Propheticum, juxta linguam primogeniam, ejusq; proprietatem optime exponendum veniat de fraudulentâ, & prorsus desperatâ Cordis humani malitiâ.

§. IV.

Cœterum, Cor, DEi creatura bona est, Deus namq;

namq; Cor hominis admodum artificiosè format *Pf. 33. 15.* haud secus ac aurem plantare, & oculum fingere in sacris prædicatur. *Pf. 94. 9.* Quia DEUS, *cujus delicia cum filiis hominum, Prov. 8. 31.* Cor hominis sibi habitaculum, & Templum paravit, in quo, absoluta rerum universitate, quiescere voluit. Hæret autem Cor, ceu fons & principium operationum, in Ventre, hoc est, in thorace, qui anatomicis medius hominis venter dicitur, & habet carnem non vulgarem, sed peculiarem, solidam nempe, densam & compactam, ut Spiritus vitales tenuissimos continere possit firmissimè, & calore perpetuò, laboreq; indefinente non facile vel aduratur, vel consumatur; Accedit *περικάρδιον*, tunica densiuscula, qua Cor tanquam Sacculo quodam, undiquaq; obvelatur, & continet hoc pericardion in se humorem, quo cor subinde irrigat, ne nimio æstu accendatur.

§. V.

Oracula divina huic mirabili, & affabrè facto membro, quod medicis primùm vivens, & ultimum moriens dicitur, hominis totum regimen tribuunt, & omninò animam rationalem in corde collocare videntur, certè perindè ac si ea ibi habitaret. Anima enim, quæ tota est in toto, & tota in qualibet corporis parte, speciali-

in hoc mundo in hoc ter

ter dicitur esse in corde, ubi suas vires præstantius exerit. Nam cordi omnis vis intelligendi, volendi, & agendi adscribitur: ubi verò anima suas facultates præstantius exerit, ibi *καὶ ἔξουθεν* habitare dicitur. Hinc est, quod Deus tantoperè ubiq; flagitat ipsum Cor; jubet nos se diligere, confiteri, celebrare, timere & amare *ex toto corde Deuteron. 6. 5.* Hinc etiam dicuntur *Corda purificari fide Act. 15. 9.* & *mundari sanguine Christi, 1. Job. 1. 7.* nempe non caruncula illa, sed anima præsertim rationalis, quæ in corde potissimum agit. Cum scriptura *accusat hominis Cor Gen. 6. 5.* dum ipsam profectò animam rationalem imagine Dei exutam, & spoliatam, accusat. Et cum vicissim, vel homo petit cor novum, vel Deus promittit se *cor novum in eo creaturum, pro lapideo exciso*, ipsam animæ rationalis renovationem promittit. Legitur quippe in *Epistola ad Hebr. 13. 9.* *καλὸν κατέλιπε θεοῦ καὶ οὐ κατέλιπε, ἢ θεούαρον:* Bonum, gratiâ stabiliri cor, non cibus. Id est, ipsa anima & mens, perinde gratiâ, ac spiritu Dei stabilitur; quemadmodum corpus cibo exteriori. Deus Israëlitas accusat *Deut. 29. 4.* quod non habeant *לב ודעה* cor ad intelligendū, & promittit *Jer. 32. 39.* se *daturum illis לב ודעה*, ut timeant Deum. Ubi hanc ipsam totius rationalis animæ renovationem pollicetur, non vero illius carnalis massæ corpoream quandam mutationem. B §. VI.

Hoc Cor humanum adeò, proh dolor! facinus fædum pravum præ omni re, & deceptivum est, ut nulla creatura illud scrutari, & cognoscere queat; quod Jeremias conceptis verbis testatur: עקב הלב מכל ואנש הוא מן ירענו
 Valde Emphaticum est verbū Hebræū עקב quod idem sonat ac supplantativum, à radice עקב Hebræis supplantavit, decepit quasi dolosè, callide aut astutè rem egit: undè לב Cor, quod etiam in hoc loco omnes facultates animæ rationalis complectitur, *intelligentem, volentem, & appetentem: sive mentem, voluntatem, & affectus*, deceptivum, versutum, versipelle, imò fraudulentissimum, & desperatè malum, innuitur. Præponitur ה demonstrativum, quod utiq; suam hoc loco habet Emphasin, adeo ut cor una cum ejus qualitatibus sistat, nec quatenus in certis quibusdam hominibus deprehenditur, (licet Grotius plerosq; tantum Judæos intelligat) sed prout illud communiter in omnes competit homines, q. d. pravum est ipsum cor hominis in se, & sua natura post lapsum consideratum, non quatenus est in certo hominum genere. sicuti & ipse *ααρδιος και σαρκα* queritur videns, *Genes: 6. 5. בירבה רעה האדם בארץ וכל יצר לבו רע כל היום* quod multa esset malitia hominum in terra, quodq; omne figmentum cogita-

cogitationum cordis eorum, tantummodo esset malum omni die. Et cor est עקב supplantativum, ac machinativum מכל præ omni, præ quo omnis Celeb. Sebast. Schmidt in Commentario super hunc locum censet simplicissimum videri, repetere ex præcedentibus עקב fraudulentum, hoc modo nimirum Hebræis usitato: fraudulentum est cor præ omni fraudulento. Quoniam nulla res mala, est tam vafra censenda, quam cor hominis. q. d. nulla est res inter quascunque distortas, & à debita rectitudine suâ aberrantes, quæ tam fallax sit in suo genere, quam distortum & fallax cor hominis, adeo ut nulla res sit, cum qua cor hominis comparari, & exæquari queat ad ejus fraudem, & pravitatè fatis describendam. Unde cognoscere licet, quam multa, & profunda sit cordis humani malitia: Dantur, & dari possunt viæ, in quibus nihil non flexuosum sit, ut errare cogatur, qui in illas incidit. Dantur arbores plane distortæ, & curvæ, ut nihil fermè in illis recti sit, sed cor hominis longè magis à suâ rectitudine aberrat, quàm ut per illa describi queat.

§. VII,

Verum, Cor non modò est עקב, sed & אצב ab אצב *infirmum esse vel ægrum.* Quod vocabu-

lum statui peccati appositè convenit, habetq; significationem morbi, sicuti usurpatur alibi in scriptura de doloribus & plagis. Hic autem *שׂוֹן* *desperatè morbidum*, dicitur cor hominis, ob congenitum peccatum, & pravam ad omne malum inclinationem; adeo etiam *Νοσῶν* morbidus, seu ægrotus, circa *questiones & verborum pugnæ* *1. tim. 6.* dicitur, qui corruptus mente, & spiritali sensu, à veritate ac simplicitate verbi divini discedit, & non nisi cæcæ rationis dictamen in fidei mysteriis, sequitur. Porro, morbus cordis est malitia, perversitas & obliquitas à bono & recto longè aberrans. Cum *שׂוֹן* procul dubio repetendum est *מכל* præ omni, hoc modo: *שׂוֹן מכל וְאֵנוּשׁ מכל* & *morbidum præ omni morbo*. Nam hic morbus tam perversum reddit cor, ut nulla res morbida, & desperata cum illo veniat comparanda. Atqui dantur corpora à leprâ, vel aliis morbis infecta, ut nihil sani in iis sit: existunt arbores planè putridæ, in quibus nihil prorsus sani. Et tamen morbus cordis, seu animi profundior est, & magis totum hominem permeat.

§. VIII.

Natura hominis jam post lapsum tantoperè scedata est, & corrupta, ut renatorum etiam corda, non sic omninò pura sint: Imò viri etiam sancti, cordis sui *αἰδέσις* sentiunt, timentes ne erumpat aliquid per linguam, quod sit peccami-

nosum,

nosum, noxium & proximo molestum, ut Deum offendat, qua propter gemibundi exclamant: *Job. 15. 14.* *מָה אָנוּשׁ כִּי יוֹכַרְוּ* *Quid homo est ut sit mundus.* *Prov. 20. 9.* *מִי יֹאמֶר זַבְתִּי לְבָבִי* *Quis potest dicere mundum est cor meum?* omnes utique *immundi sumus* *Es. 64. 6.* *si vel lixivio te laveris dicendum tamen: immundus sum* *Jer. 2. 22.* *gerimus enim immundam carnis tunicam.* *Epist. Jud. v. 23.* *Christus καρδιογενέσεως* cor sine exceptione describens inquit: *Matth. 15. 19. 20.* *ἐκ τῆς καρδίας ἐξέρχονται διαλογισμοὶ πονηροί. φόνοι, μοιχεύματα, κλοπαί, ψευδομαρτυρίαι, βλασφημίαι; ταῦτά ἐστι ποιοῦντες τὸν ἄνθρωπον τὸ δεξιὸν χερσὶ φαγεῖν, ἔ κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον.* Probe verò contra Flacianos, qui ex hoc loco colligere satagebant, quod peccatum originis, sit ipsa substantia; notandum, quod cor sit fons peccatorum actualium, non quatenus tale, sed quatenus corruptum est, & habet pravitatem inhaerentem: Aliud verò est *φθορά*, aliud *φθαρτόν*, ceu patet ex *1. Cor. 15. 53.* Cordis enim substantia, quatenus est Dei creatura, bona est: sed propter vitium peccati, *שׂוֹן* pravum, supplantativum, fraudulentum, & desperatè morbidum vocatur. Probe igitur notandum, quod Salvator expressè hic adserat, pravas cogitationes esse in corde, & ex ore & ex corde. Ergò aliud erunt cogitationes pravæ, aliud cor. Anno Christi 1561. cum inter Victorinum strigelium Synergistam, & Matthiam

Flacium Illyricum, Vinarix colloquium institu-
 rum esset, statuit Flacius, totum hominem qua-
 lem quantum, sive in substantia, sive in acciden-
 tibus, meram abominationem, & peccatum esse;
 repetiit errorem, in Clavi Scripturæ, tract. 6. de
 peccato Origin. Nec ignota est ejus conclusio:
 quicquid repugnat legi, peccatum est, totus ho-
 mo repugnat legi, Ergo. Sed rectè, distinguitur
 inter *ἀνομιαι* & *ἀνομιαι*, sub qua distinctione major
 manet, minor est falsissima, cum mediocriter do-
 ctus etiam rectè concludat: Omnis *ἀνομία* pec-
 catum est, homo non est *ἀνομία* sed *ἀνομιαι*; Ergo
 peccato quidem obnoxius, peccatum autem i-
 psum non est. Nam aliud est originale pecca-
 tum, & aliud est cor hominis; Originale malū
 per se actuale gignit, cor autem in se & quate-
 nus cor est, peccatum gignere nequit, sed facit
 illud *καὶ ἄλλο*, secundum quid, quatenus pecca-
 to est corruptum, & depravatum. Apparet hoc
 ex cordis operationibus, meditatur illud, cogi-
 tat, considerat: quando verò mala meditatur,
 mala cogitat, mala desiderat, quod ipsum non
 facit cor per se, sed ut impurum, & depravatum,
 adeoq; peccato infectum.

§. IX.

Interim tamen Naturæ Cordis humani tan-
 ta per peccatum depravatio est, ut imperscruta-
 bilis & ineffabilis censeatur à Propheta. Quod
 aperte

apertè inculcant sequentia: *מי יודעני* *quis cognos-*
cet illud. Propheta hæc verba in persona po-
 puli proponit, ideo sub intelligendum est,
הם אמרו illi dicunt, sicut v. 15. exponitur.
 Nam impii Judæi apprehenderunt verba Pro-
 phetæ, quæ protulerat, aut sensum saltem verbo-
 rum, & malitiosè in ipsum retorserunt, polliciti
 sibi magnam impunitatem, quasi nemo esset, qui
 cordis ipsorum malitiam cognosceret, ne Domi-
 nus quidem ipse. Et certè nemo cor hominis,
 ratione scilicet fraudis malæ, & morbi despera-
 ti, cognoscere potest, sed illi quatenus etiam
 Deum involvere voluerunt, quasi nec ille mali-
 tiam cordis humani penetrare queat, impiè &
 blasphemè errarunt. Juxta responsum in v. sq.
אני יהוה חקר לב בתן פליות ולתת לאיש כדרכו
אני יהוה חקר לב בתן פליות ולתת לאיש כדרכו
אני יהוה חקר לב בתן פליות ולתת לאיש כדרכו
 verumtamen certum est, in corde
 humano eos esse finis, & recessus, ut ad eos
 usq; nulla creatura, ne angelus quidem, pene-
 trare queat. Nam licet angeli sint excellenti
 intelligentia præditi, tamen non sunt *καρδιογράφοι*.
 Cordis enim rimas scrutari, & in Secreta ejus
 penetrare, non dicit solum introspectionem
 conceptuum actu existentium, sed et latitudinem
 possibilem & futurorum, quam latitudinem
 possibilem & futurorum, cognitione exhaurire
 non angelorum, nedum hominum, sed solius
 Dei est opus.

§. X.

Quod superest, sicuti regimen hominis cordi tribuitur; ita cordis non modo scrutinium, sed & correctio Deo adscribitur. Cor enim nostrum salutatur lapideum, metonymicè loquendo, sed Deus illud carneum facit *Ezech. 36. 26.* dum nempe Spiritus Sancti *ἐνεργείας* novos actus, ac Deo placentes motus in corde accendunt, & foveant: licet durum veluti Adamas, tamen Deus illud emollit, ut legales timeat minas, & mandatis divinis humilimè obsecundet. Tunc evenit, ut quod naturâ est incircumcisum, id Deus gratia circumcidat. Clausum est donec illud per Verbum *ἀνεῳγόν* aperiatur, quod Lydia Exemplo constat: Similiter vetus, & veteris Adami: ast Deus illud per salutiferam regenerationem innovat. Cæcum illustrat, & mortuum in peccatis, vivificat. Adeoq; quamvis ante immundum, pollutum & desperatè morbidum, tamen Deus illud lavat baptismate, mundat fide, ac filii pretiosissimo sanguine. Ut tandem Deum Israël solatorem illi habeant, qui mundi corde sunt. O misericors Deus, fons omnis boni, aspergas nos hyssopo, ut mundemur; laves nos, ut dealbemur!

Τὸ Θεῶν μοίῳ καρδιογνώστη Δόξα!

Eruditissimo Domino Respondenti
Dissertationis hujus Auctori,

Vetus ista & gravis querimonia, raram esse eruditionis cum solida pietate, & bonis moribus misturam, annis etiâ nostris, proh dolor! expletur. Adeo ut haud pauci videantur ambigere de artium liberalium pergrata ac utili dignitate; an ille ad cultum Dei Nos deducant, cum saepe in nullis frigeat magis pietas, quàm qui omnem prope etatem in studiis trivisse existimantur. Atq; illud oppidò mirari subit, tametsi plurimi in volubendis sanctioris vitæ magistris assidui, *ψυχῆς ἰατροί*. Die noctuq; scrutantur, cor tamen quorundam pravis cupidinibus pressum, in tantâ occaluit duritiem, ut *אמרי יושר* sive saluberrima monita nequeant agere radices; nempe *כתריות לבנה* in rectitudine cordis vix eadem assequuntur, quò ipsi evadant meliores, sed inanis tantùm gloria paranda causa. Ejusmodi male-feriatorum genus omnibus bonis certe displicet, quod etiam, Politissime Domine OLDEKOP, Tibi, publico eruditionis specimine, dederit forte ansam, in qualitates cordis humani accuratius inquirendi, Sicut enim cor in animali audit Philosophis primum principium motus, & caput sensuum, ita novimus literas Sacras affirmare totius mentis sedem in corde ceu metropoli; atq; hinc tribuunt Ebrei totum hominis regimen eidem membro, ac si omnis vis intelligendi, volendi & agendi, plane in Ipso resideat. Quocirca erit cor, nobilissimum illud *καρὴν ἄνθρωπου* pagina hauri dissimile, in qua operationes anime reconditæ; hoc vasculum & cista continet animi motus, affectus & studia; hoc est penurarium, in quo sapientia, & consilia quævis asservantur. ὡς παραρτοί οἱ καρτεῖν ἢ καὲδία: ast qui *בלב ובלב* loquuntur aliud dicentes, aliud sentientes, mente scilicet duplici, quarum una latet intus, altera proditur verbis, ex illorum ore fluit saccarum, & aqua Stygis virulentissima,

quos detestatur Sanctissimus; quemadmodum Ecclesiastes aperte fulminat: *אֵלֶּי נִאֲדָיִס׃ דִּי תְּלָאִס׃*. Sint sanè, qui more hodiernorum Politicorum sibi laudi ducunt, omnia simulare aut dissimulare: Scriptura certe, in Eo, qui Sacra tractat mysteria, astutam vapido gestare sub pectore vulpem, minime commendat; quin imò Salvator, si qui sunt animi vulpina astutia contaminati, Eos tanquam inutiles fungos ad columbinae simplicitatis functionem, amandat. Quod umbris olim significatum iudicamus, quando summus Pontifex *עַל הַלֵּב* portabat *וְהָיָה הַלֵּב* in fronte vero bracteam ex auro puro, cum inscriptione *קִדְשׁ יְהוָה* & pallium undiq; tintinnabulis ornatum: quem omnes & singuli aspicientes confestim perceperunt Voluntatem Domini, tam auribus quàm oculis, ex lumine & sono, animumq; in presentia Altissimi maximopere esse advertendum. Quae omnia patefaciunt candorem & ingenuitatem quàm maximè in Theologo requiri, sic enim alii cognoscent, ipso interprete, quae Domini lux & lex, quae scriptura perspicuitas, quae Christianorum integritas. Eam quippe decet, qui regendos alios suscipit, tanta virtutis gloria excellere, ut solis instar ceteros veluti stellarum igniculos, suo fulgore irradiet. Quod Apostolus, regulas Doctoribus Ecclesiae praescribens, formulam *ἀντιλήθητον ἵκεν* complexus est, eaq; omne virtutis genus felicissimè expressit. Quapropter, quoniam Deus O. M. cor integrum h. e. cultum ex tota profluentem animam desiderat devotissimum: hinc colligere licet, quo caecitatis impetu abrepti fuerint gentiles, dum corda sua Rheæ vel Cybele nefarie consecrantes, eo religionis simbolo, toto se metipso animo idolis devoverunt. Sed ulterius hæc persequi vetat instituti ratio, cum à Tua, Humanissime Dne. OLDEKOP curam expectemus cetera, quae tam ardui argumenti solidiorem absolvunt expositionem. Ego, quod mearum est partium, gratulor Tibi ex animo laudabiliter exhibitam in sacratori literaturâ diligentiam, nec non singulararem

gulararem morum candorem, ut virtutum pulcherrimarum ornamentum: ex quibus manifestum, Te inprimis perfectioni cordis studuisse. Quod sicut in hac mundi ad deteriora rhenis senectâ, nimium quantum cheu! est infrequens, ita jugiter precandum, ut *הַלֵּב שׁוֹכֵחַ הַלֵּב* sive intelligentis cordis probitatem, quae quidem ab omnibus laudatur, ast quod ploramus, alget, nec nisi sonus est, qui jam ex illa remanet, constanter in timore Domini ad fata conserves. Sic Patriæ utilem, Ecclesiae Dei stabilimentum, & Tuorum decus Te futurum plenissima spe concipimus. Dorpati Livonorum d. 27. Augusti, A. Ch. 1692.

Scriptis affectu quam calamo prolixiore

CRISPINUS JERNFELD,
S. THEOL. P. P. N.
R. ACADEM. h. tp. RECTOR.

In Dissertationem
Doctissimi juvenis mihiq; amicissimi,
JOHANNIS OLDEKOP,
De
NATURA CORDIS
HUMANI,
PAndis inaccessæ quæ caeca volumina
mentis,
Musa, Sionæi flumine tineta vadi;
Ipsa refer miseros, qui vexant corda, tumultus,
Quæq; vides vapido monstra latere sinu.
Sic ego: sic moesto respondit turbida vultu,
Assiduo teneras imbri rigante genas:
C2 Heu!

Heu! fontem vitæ, mentisq; invaserat arcem
Stryx nigra, non illum digna tenere locum.
Hic tacitas fraudes, & amaras percoquit iras,
Et stupra, & cædes, & scelus omne parat.
Hic residens, atris frontem vallata colubris,
Ventilat infernas sæva Megæra faces.
Et te, livor edax, & te, furiosa cupido,
Agnoscit dominas nobilis aula suas.
Spem timor expellit, rediturum spesq; timorem:
Et peragunt dubias bilis amorq; vices.
Me miseram! non sic discordibus icta procellis,
Fluctuat Euboico puppis adunca salo;
Mens hominum ut vario curarū impellitur æstu:
Et vetat hac Numen sanctius æde coli.
Dixerat: at postquam legi tua scripta, JOHANNES,
Cognovi forti consona verba sacra.
Ter felix, quod ut has damnat tua pagina pestes,
Ex animo jubeas sic procal esse tuo.

O. Hermelin,
Prof. El. & Poef.

Pereximie atq; Doctissime

DOMINE

JOHANNES OLDEKOP,

Philosophiæ & S. Theol. Studiose Perindu-
strie, Amice singulariter honorande.

Solet inter difficiliore Philosophorum quæstio-
nes, etiam moveri illa, quæ est de Sede Ani-
mæ Principali in corpore, ac Principio Sensus ac

Sen-

*Sensationis, maximè in creaturâ ratione prædi-
tâ, dum alii, cum Principe Philosophorum, Cor-
di illud adferunt, alii cum Galeno celebri Philo-
sopho ac Medico, Cerebro idem tribuunt. Nam
hec duo viscera præcipuè sunt, quæ Auctores in-
ter se magnis animis committunt, ad pugnandum
de Jure domini sensationis. Galenus certè,
Hippocratem Platonemq; secutus, lib. 8. de Usu
Partium Corporis Humani, cap. 6. pluribus ad-
struere conatur, Cerebrum omnes sensus reci-
pere, omnesq; imaginationes & intellectus com-
plecti. Et lib. 7. de Hippocr. & Platon. Decre-
tis, cap. 8. sive ult. p. m. 546. postquam contra
Chrysippum prolixè disputasset, tandem addit, ex
his omnibus (ante dictis) rectè constare, cerebrum
tum sensuum omnium, tum incitatorii motus
in animalibus originè esse. Ille contra, Aristoteles,
λεξι, ait, τῶν αἰσθητικῶν ἐστὶν ὁ τόπος τῆς καρδίας τὸ πρῶ-
τον. i. e. Principium sensuum esse Cordis locum, si-
ve, qui circa cor est, (lib. 2. de Partib. Animal.
cap. X.) & mox: ἢ δὲ αἰσθητικῶν ἀπὸ τῆς καρδίας. i. e.
sensum à CORDE provenire. Quin & Lib. de
Juvent. & Senect. c. 3. p. m. 1492. contendit,
ὡς ἀνάγκη ἔχει τῆς αἰσθητικῆς ἔχει τῆς ἀσπληνῆς ψυχῆς ἐν τῇ
καρδίᾳ τὴν ἀρχὴν εἶναι τοῖς ἐναίτοις. i. e. omnino necesse
esse, & sensitivæ & nutritivæ animæ in COR-
DE principium esse sanguine præditis. Sic illi,
suis quisq; abundant opinionibus. Quas qui-
dem operosius excutere, & alterutri palmam ad-
judicare,*

judicare, hujus loci non est. Commodè tamen
animo occurrebant perpendenti materiem elegan-
tis ac erudita D. Sputationis Tuae, Pereximie Do-
mine OLDEKOP, quam de Natura Cor-
dis Humani publicè luci dedisti, in quam multa
huc spectantia prudenter contulisti, imprimis dum
considerandum sumpsisti, כי עקב הרב מכל ואנשׁ הוא
quàm fraudulentum sit super omnia & mortife-
rum COR (hominum) & כי יצר לב האדם רע מנעריו
quàm figmentum CORDIS hominis sit malum
à pueritià ipsius (Gen. 8, v. 21.) adeoq; idem Prin-
cipium aberrantium à norma legis divinæ actio-
num, operationumq; איבועו domesticam causam
ostendisti. Quà re cum & promptitudinem in-
genii Tui, & industriam atq; diligentiam singu-
larem abundè declarasti, non possum non Tibi lu-
bentissimè gratulari tam insignes in bonis literis
progressus, simulq; ex animo vovere, ut eisdem pri-
mo quoq; tempore digna consequantur præmia,
utq; ipse in usum Reip. atq; Ecclesiæ singularem,
Tuorumq; gaudium quam diutissimè feliciter vi-
vās ac valeas! Dabam, Dorpati, die XXIV.
Augusti, Ao. M. DC. XCII.

Tui Studiofissimus
Gabriel Stragge/
Orient. & Gr. Ling. Prof.

Eidem

Eidem
Politissimo & doctissimo Respondenti,
animo dilecto,

Corporis in latebris secreta recludere cordis,
Difficile est, namque hæc quis penetrare
potest?

Quantum autem tribuant sacra volumina eidem,
Exserit hoc doctè pagina scripta tua.
Maeste animo memori, pandis quos ipse recessus,
Pervigil hos volvas mente animoque pio.
Sic non pœniteat Te his infumfisse labores,
Præmia qui referent, eximumque decus.
Quod superest, voveo, tua sint bona tempora vitæ,
Ut prosis multis; vive valeque bene!

Sic gratulari volunt
Gabriel Siöberg/
Prof. Phil. Theor.

Que gremio Sophie vasto miranda recondit
Queis alas addit mentibus usq; bonis:
Hæcædis & Latii memorat que docta Virorum
Pagina, non segni pervoluenda manu:
Deniq; solertis peperit quod cura Galeni,
Legibus aut que nos Justiniane, doces,
Cuncta hæc scire decus magnum, neq; commoda nobis
Pauca serunt, summos conciliantq; Viros.
Pectoris at nostri fraudes novisse latentes.
Hoc nos perpetua prosperitate beat,
Has anime fyrtes, hæc saxa, o Amice, cavenda
Monstra, cum Sacro præficere gregi.

In gratiam politissimi Dn. Autoris
Resp. lmg. f.

M. Dau.

T Urbida solliciti spectabant exta Quirites,
Sicq; qua præsagum concinit omen avis:
Est nobis ratio, quæ puro ex æthere ducta,
Prævidet indubiâ multa futura face.
Hujus ego ductum jam care secutus amice,
Hæc de Te læto facta recludo sono.
Sinceram vitam, niveos seu pondero mores,
Non alius fuerit dignus honore magis.
Sive quis affectet sacra præcellere in arte,
Nascitur ingenio fama decora tuo.
Lucida sed tollet post hæc ad sidera nomen
Pagina, quæ doctâ Stat bene culta manu.
Te precor, ut fido tam prospera corde precanti
Jam faveas, vultu vota ferasq; bono.
O vigeas, patriæ vivas nobisq; Tibiq;
Et superes Pylimum vita & honore senem.

*Paucis his Amicum atq; Cibem suum estimatis-
simum de Egregio Specimine Theologico
edito, sibi ulterius devinire stuluit*

Joachimus Beutherus, Rig. Liv:
S. S. Th. & Phil. Stud.

Præstantissimo atq; politissimo Dno. Disputatio-
nis hujus Auctori Amicorum optimo.

Ambrosios ut apes libant de floribus hausus:
Sic partum pergis continuare decus.
Hinc Tibi vota paro: conatus Fata secudent;
Et rosæa Pallas det Tibi ferta manu !!!

Æ. C.
PaX tVa DVX feLIX
Nosbeet aLMe poLI.

Hæc
Honoris
&
Amoris
&
Memoria E.
Imq; sc:

Daniel. Clocovius.